



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

Status Materialis descriptio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

Deinde in Eccl. interiori breuem sermonē habeat, secūdum statum in Visitatione repertū: quo absoluto, si aliqua sit publicè corripienda, ipsam corripiat, ac puniat, & benedictione impartita recedat.

CAPVT VIII. Status Materialis descriptio.

MONASTERIVM S. N. constructū, & dotatum à Comitissa N. anno 1485. cum consensu Ordinarij, vt publico Instrumento rogato per N. Notariū, & Cancellarium Archiepiscopalem sub die 3. Ianuarij 1485. & in libro antiquo Monasterij.

Dos, qua dotatum fuit, est scutorum 15000. in bonis stabilibus sitis in territorijs Rosati, & Meltij, vt cōstat ex Instrumento, & libro.

Loca requisita sunt, vt infra.

Ecclesia exterior vnica naue constās, fornicata, & satis dacenter constructa, & ornata.

Consecrata à Reuerendissimo N. Archiepiscopo die 6. Iunii 1555. vt constat lapide marmoreo in ipsius Eccl. pariete.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramētum assidue ibi in Tabernaculo decenti afferuatur; ante quod lampas iugiter ardet, scilicet in Ecclesia interiori, in exteriori autē, quādo fores apertę sūt.

Sacrum oleum pro ægrotis in fenestella ad præscriptum decenter quoque afferuatur.

Vnicum adest altare ad formam præscriptam, quod etiam cōsecratum est, vt supra, sine aliquo peculiari onere.

Imagines sacrę sunt complę, & veritati consonę.

Alia autem ad Ecclesiam exteriorē spectantia ponantur, vt supra in Visitatione Materiali de Ecclesia.

Ecclesia etiam interior satis pulchra, & ampla cum Choro, & sedilibus per-

politis pro sexaginta Monialibus.

Fenestrę omnes, & clathra sunt ad præscriptum.

Item Rota cum valuis, fera, & claue. Sacristia decens à parte Aquilonarij, cum suppellectili, vt in Indice.

Cœmeterium propè Sacristiam cum duabus sepulturis, vna pro Velatis, altera pro Conuersis.

Ianua communis è duplici assere satis firmo constat; in illaq; nulla rimula patet. Limen è solido lapide est, & ipsi portę strictim cohęrescit. Fenestellula clathrata est ad præscriptum: & clauēs duę sunt diuersi operis.

In ingressu est atrium, in cuius medio est fons aquę satis abundās pro vsu Monialium. Et claustrum cum columnis decem, & octo è solido lapide.

Locus colloctionis vnus est in Monast. licet duo exteriores sint cum clathris, lamina, fenestellula cum claue, & vecte, & pāno lineo, atq; valuis ad præscriptum: Eius ostiū, etiā vecte, & claue clauditur.

Refectorium amplum, longum videlicet cub. . . . latū verò cub. . . . satis pulchrum, cum mensis, sedilibus, suggestu, seu lectorili ex nuce: Et in capite ipsius repręsentatur Ceena Domini nostri pię & ura satis eleganti.

Vrceoli, patere, patinę, & alia huiusmodi vniiformia sunt.

Propè ipsum Refectoriū est coquina satis commoda, & benè instructa longa cub. . . . lata verò cum camino, & cum furnulo, cumq; duob. abacis. Patinę

N 3 autem,

autē, & alia sunt sigillo Monast. signata.

Coquinæ cella penaria adhæret, quæ longa est cub lata verò . . . & in ea pariter sunt abaci duo, cum clauibus & vectibus & plura vasa. Penus est magna copia, non tamen ultra vsum Monialium.

In eodem claustro sequitur officina Aromataria, quæ ampla est, & etiam factis instructa; Et quæ illi præfecta est, omnia, quæ necessaria, opportunæ sunt, in varijs libris describit.

Deinde est locus, siue potius loca pro ægrotis. Est enim locus vnus amplus, longus cub. . . & latus . . . qui illis, quæ non admodum grauer laborant, inseruit. Et in loco hoc dicitur officium diuinum; & nocte lampas ardet. Alius etiam est longus cub. . . latus verò . . . pro illis, quæ grauer laborant.

Alius sequitur in eodem claustro locus, qui etiã ægrotis inseruit: ibi enim

calefiunt, dapesque earum cõquuntur.

Postremò est scala, per quam descenditur ad cellam vinariam, quæ ampla est; & in ea sunt dolia sexdecim magna, quæ singula continent triginta cados; & viginti parua, quorum quædam quatuor, & alia sex cados continent.

Hortus nimis amplè patet: est enim circiter perticas & quotidiana hominum opera eger.

Et hoc in pacto reliqua etiã loca describantur. Et aduertatur an caminus extructus sit in priuatis cellis; An horreum, & locus in quo farina conseruatur, duabus clauibus diuersis obserentur: An in loco, in quo cõfessiones audiuntur, rota sit parua. Et hæc sufficit indicasse quoad descriptionem Monasterij.

Et notandum est, quòd vbi obelisco siue asterisco * signatum est, ibi conficiendum est decretum.

CAPVT IX.

Quæ à Visitatore potissimum præstanda post Visitationem, maximè in correctione facienda.

CONFERAT Visitator deinde indices, & inuentaria: atque diligenter videat, an prouentus percepti pro Monialium vsu, anno illo sufficiant, an supersint. Et præscribat quantum tritici, vini obsonij, & aliarum rerum ad vniuersarij victus sustentationem satis esse existimari.

Videat etiã, an quæ à parentibus, alijs nè nomine liuelli debentur, persoluantur, & cui: & omnia describi curet. Postremò decreta conficiat, præcipuè circa substantialia religionis, communem vi-

ctũ, & vestitum, clausurã, cultum diuinũ, charitatem, pacem, & concordiam, & circa vitandũ oriũ, frequentes accessus, & superfluas expensas, & aspectus vicinorum remouendos; poenas etiã legitimas iniungẽdo. Et postea diligenter curet vt ipsa decreta executioni mandetur.

Poenæ autem præscriptæ sunt, vt infra.

Præfecta, & aliq̃ Moniales, quæ Ecclesiasticos, aut laicos homines quauis causa, prætextuè intra Monasterij septa absque Episcopi concessu literis consignato, ingredi permiserint, ipso facto excõ-

munica-
Greg.
XII L

Gl. in c.
ad reatũ,
dist. 81.
Fusch. L.
2. c. 18.
num. 50.